

li eum contigisse sibi aliisque persuasum eunt: Mosen quippe observato dicti maris refluxu, tam exiguae latitudinis sinum facile & sine ullo miraculo potuisse trajicere.

Mornæus  
l. c.

Exod. XIV.  
22. 29.

v. 22.

§ III. Opposuerunt se illis e Christianis interpretibus æque ac Philosophis bene multi, & objectiones istas evertere variis rationibus fategerunt. Nonnulli in rubro mari fluxum refluxumque plane nunquam sentiri autumant; quæ responsio utique omnium foret expeditissima, ni peregrinantium & accolarum contrariæ observationes refragarentur. Alii ergo, cum æstum reciprocum in hoc mari cogantur admittere, urgent textum scripturæ, imprimis, ubi *aqua Israelitis* dicuntur *fuisse murus à dextrâ eorum & à sinistra eorum*: item, ubi *Dominus abegisse* fertur *ipsum mare Eurò vebemente totâ illâ nocte &c.* qui sane effectus ab ordinario maris fluxu & refluxu oriri aut cum eò consistere neutiquam possint.

Dissert. de  
Traject. Ma-  
ris Idum. in-  
serta Com-  
ment. in  
Pentateuch.  
p 541. seqq.

§. IV. Verùm, quis non videt, has rationes ad eos tantùm convincendos valere, qui Sacræ Scripturæ auctoritatem quoad omnes circumstantias agnoscunt, non æque satisfacere Ethnicis Atheisque. Quid enim, si quis cælestis veritatis contemtor transitum Israëlitarum per mare rubrum, quatenus profanorum Scriptorum suffragiis confirmatur, accidisse quidem concedat, memoratas autem circumstantias, velut à Mose, divinam auctoritatem sibi ac suis operibus paraturò, confictas rejiciat? Quid, quod *Celebris Scripturæ interpres Job. Clericus* textum citatum prorsus ita explicat, ut cum sententia sua, quæ transitum Israëlis mediante refluxu factum, asserit, conciliari commode queat? Quanquam enim laudatus vir miraculum in hac traiectione haud neget, quatenus scilicet à Deo præter solitum naturæ cursum excitatus ille ventus sit, qui mare per noctem abegit, statuit tamen, eundem cum ordinario ma-

ma-